Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. 1392

QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 14. Januarij.

M. PETRO BONNET, Doctore Medico, Præside.

An viviparorum fœtus ex Ovo?

ANIMALIA à plantis sensu, motuque discrepant, quarum instar nutriuntur, crescunt & semine generantur. Non unus idemque omnibus generationis modus, plurima sponte nasci dicuntur, ex putri aliâve materiâ in quâ semina latent, sive inibi ab initio confusa serie temporum emergant, sive principiorum quibus constant concursu creentur, sive tandem à sui generis animalibus ova sint relicta, è quibus calore Solis fœtus excludantur. Quædam in eadem specie interdum à parentibus, interdum aliunde originem habent ut mures, quandoque ex quisquilibus geniti, quandoque à muribus aliis editi. Non desunt quæ per varias metamorphoses variorum animalium formas induant, quorum unum ex alio successivâ muratione formatur, talis est eruca illa nobilis ob sericum vulgatissimam in vestibus luxus materiam nemini non nota, hæc vermiculi formâ ex parvulo papilionis ovo nascitur, adolescit depascendo mori folia, adulta candidum net folliculum, quo incluſa jacet immobilis & velut demortua, tuncque Aurelia chrysalis sive Necydalus appellatur. Rupto demum folliculo, exavioque depositio papilionis formâ prodit, avolat, coit, ova parit similium mutationum semina, brevi post emoritur. Plurimi occurrunt mirandi in vilibus animalculis generationis modi, quorum observatio ut infructuosa negligitur. Nota sunt cuivis duplicis generis animalia, vivipara scilicet & ovipara in quibus manifesta sexus diversitas, minus obscura facit originis primordia: illa vivos in lucem edunt fœtus, ista primum ova pariunt conspicua è quibus postmodum fœtus excludnntur. Hujus generis sunt inter quadrupedes Crocodilus Nili celebris accola, Scincus, Crocodilus minor terrestrisque dictus, Lacerta quam ova ore parere, excluſosque fœtus præter unum omnes devorare, à quo postea parentes interficiuntur, fabulosum. Ex serpentibus sola Vipera vivam edit prolem, reliqui sunt ovipari. His accedunt piscium innumeræ species & omnium oviparorum notissimæ aves, ex his ut ex quadrupedibus oviparis serpentibusque matura perfectaque exeunt ova. Ex piscibus quamplurimis imperfecta immatura, incrementum & perfectionem foris acquisitura. Perfectum porro verumque ovum est, quod materiam principemque corporis fœtus opificem cum alimento, quo semel formatus ad exclusionem usque nutriatur, in se continet.

OVA quæ absque maris congressu fœmina concipit aut etiam parit, & ea quæ mares edunt, quod in gallis & anatibus non infrequens, ut pote infœcunda, vera non sunt ova, sed tantum figurâ tenus & æquivoce. A veris ovis subventanea principiis differunt, quamvis nullum sit judice sensu discrimen. Hæc tantum fœminæ semen & alimentum quo fœtus nutriri possit continent, ista etiam maris semen fœminino permixtum. Priorum causa fœmina sola, posteriorum uterque sexus, nempe ut in viviparis, sic in oviparis mas & fœmina libidinis æstu agitantur, sibi mutuo oculis, voce, gestu blandiuntur, coeunt, semenque effundunt Id omnibus notum in avibus domesticis. Gallus animal libidine ferox ni plures quas comprimat fœminas habeat, eas fœpius ineundo fatigat: gallina in coitu obstrepit querula, renitique videtur, dum parit exultat. An contra cœterarum fœminarum morem cum dolore coit, cum voluptate parit. Quamvis recentiores reclament, gallus seminalem humorem in gallinæ uterum ejaculatur, ipsô non aurâ simplici, afflatuve fœcundantur ova, horum vitellus sanguinis marerni umbilicali venâ in viviparorum fœtum influentis loco est. Hinc absque maris operâ formatur & crescit in ovario, quod infra jecur positum arteriæ magnæ descendenti trunco accumbit, ovarium undique complectitur proxima uteri pars, quæ in membranam tenuissimam mollissimamque degenerans, orificium latius efformat infundibulo non absimile, secundùm dorsi longitudinem deorsum tendit, crassior & carnosa facta uteri medium constituit, quod cellulis distinctum est, intusque humore quodam tenui, seu albumine madet, ut & finis infimo abdominis loco ad podicem situs ovali figurâ interne donatum. Non unus solum in ovario vitellus sed plures, magnitudine diversi, papularum instar nascuntur, Milij semine minores sensim augentur & debitam molem acquirunt: tum demum à pediculo, è quo pendebant liberi per uteri principium seu per infundibulum excidunt in uteri medium, inibi paulatim descendendo albumen induunt, in uteri fine membranis & cortice obvolvuntur. Cùm dictus humor seu albumen ex utriusque sexus semine mixtum est, editur genuinum ovum perfectum fœcundum, cum solius fœminæ semen est, spurium subventaneum infœcundum; intra ovum fœcundum præsertim in albumine, spiritus futuri pulli anima sopitus jacet, ubi incubantis gallinæ fotu, aut alio simili succedaneo calore excitatur, statim expergefactus exutis spissioribus involucris limpidissimum solum humorem induit, seseque ad formationis opus accingit, hanc autem absoluit inscius, solâque motuum in localis peragendorum necessitate edoctus. Pullus ex albo formatus, ex luteo per umbilicum alitur, donec grandior factus fracto cortice excludatur.

VIVIPARORUM mira varietas, quædam sunt solidipeda seu pede non scisso, ut Equus, Asinus, Elephas terrenorum animal maximum, ipsum tamen humi prostratum assurgere non posse fabula est, ad quidvis agendum arripiendum in os intrudendum proboscide seu manu utitur; fœmina mulierum more mammas binas habet in pectore: alia sunt bisulca sine cornibus ut Camelus, Sus, Aper seu Sus sylvestris, occursû dum iracitur frendetque, propter exsertos dentes potissimum formidabilis: alia bisulca cornigera eademque ruminantia & inferiore solum maxillâ dentatâ, ut Bos in opere rustico hominum socius & Cervis minister, Ovis placidum simplex gregarium, & sui lacte, prole, pelle, lanâ, carne utilissimum hominibus pecus, Cervus velocissimum animal cujus decidua cornua alexipharmacâ vi pollent propter sal volatile medicamentum præstantissimum. Capra, cujus una species in Perside nobilis ob lapidem Bezoar, Europæis fere similis, nisi quod erectis longioribusque cornibus est, ac pelle interdum Tigridis instar variegata; gignitur dictus lapis in hujus animalis ventriculo præter naturam, ut vulgo fit in hominum renibus & vesicâ: alexipharmacus est ut & cœteri cœterorum animalium, hominisque ipsius lapides, quacunque corporis parte crescant: omnes scilicet ex plurimo sale volatili spiritus acidi operâ concrescunt. Cœtera animalia terrena vivipara multifida sunt, ut Simia, Ursus quem nasci informem ac veluti massam quam Ursa lambendo delineet fabulosum. Leo animal ferocissimum ut & Tigris crudelissima sobolisque amantissima; Lupus ovibus infensus, & alia quam plurima. In hoc etiam genere collocandus esset homo nisi animalia à se invicem distinguendo se ipsum ab omnibus distingueret; revera multis dotibus cœteris antecellit, & astu quandoque sit eorum Dominus; at non est quod tantopere superbiat, seque credat mundi epitomem, naturæ delicias & miraculum maximum, rerum omnium Regem, uno denique minorem Jove, nudus nascitur & inermis, infirmus, innumeris patet injuriis, corruptioni obnoxius. In his omnibus animalibus viviparis paucis exceptis fœmina mare imbecillior est; neque tamen monstrum, ejus & maris ad generationem pat necessitas. Nullam reperire est quæ sive ante, sive post coitum, corpus in utero gerat, cujus ex parte gignatur animal & reliquum cibus ei sit quod gignitur, donec edirum fuerit in lucem.

HOMINUM, ferarumque genus omne, veneris furiis agitatur, idem omnibus amor; hoc tempore ferocior Leo sæviorque Lœna campis errant, dant funera stragemque Ursi per sylvas, sævit Aper, crudelissima Tigris est, imbelles Cervi miscent prælia; Equos nec fræna nec verbera nec scopuli nec cavæ rupes nec objecta retardant flumina; insignis quoque Equarum furor, ducit illas amor transmontes, versæin zephyrum ore leves exceptant auras, ut paululum deferveat intolerabilis ardor: neque enim hoc vento sine ullis conjugiis gravidæ fiunt. Inclusam puellam teneram viroque maturam, ubi subdita est flammis medullis, turris ahenea, robustæque fores, & vigilum canum tristes excubiæ non satis muniunt nocturnis ab adulteris. Junenis cui magnum in ossibus igneum durus amor versat, ut ut puro numine nives glaciet Jupiter, jacet ante fores objectus Aquilonibus, tandemque conversus in pretium claustra penetrat; adeo omnia vincit amor. Hoc stimulante uterque sexus in amplexus ruit & semen effundit in uterum, è quo nusquam elabitur si fœmina conceptura sit. Miscentur posteà per minima tum maris tum fœminæ semina, fiuntque unum in quo futuri fœtus partium omnium particulæ confusæ sunt, hæ deinde tum ingenitis motibus tum impellente spiritu quo semen animatur, sese evolvunt, explicant, & ad propria loca confluunt, sic quæ capitis sunt ad caput, quæ pectoris ad pectus, quæ abdominis ad abdomen, quæ demum artuum ad artus; pariter earum quæ pertinent ad caput, quæ cranij sunt ad cranium, quæ cerebri ad cerebrum, quæ oculi ad oculum, & ita de reliquis. Nihil est intra membranas quibus fœtus obvolvitur, quo nutriri possit: quo minus ore alimentum fugat, obstant ejus in utero situs, & respirationis absentia. Propterea non secus ac arbores in terram radices spargunt quibus alibiles succos excipiant, sic fœtus ex se venam umbilicalem foris emittit, ejusque varios ramos spargit in uterum, quibus sanguinem maternum exsugit. Is primùm appellit ad hepar, ubi umbilicalis vena inseritur, inde per venæ cavæ truncum superiorem, partim in dextrum cordis ventriculum influit, partim in venam pulmonum peculiari foramine quod in edito fœtu obturatur; E dextro ventriculo in pulmonum arteriam fertur, indeque partim in venam pulmonum partim in aortam illabitur peculiari ductu qui etiam post partum oblitterat ur: è vena pulmonum in sinistrum cordis ventriculum, indeque per aortam in omnes corporis partes. Quæcunque in intestinis fœtus occurrunt fæces, excrementa sunt sanguinis non chyli, ut & liquor in ventriculo contentus excrementum est ventricoli, non chylus. Hac ratione formatus fœtus & adauctus, vivus editur in lucem, citius aut tardius pro viviparorum animalium varietate.

FIGMENTIS delectantur qui mulierum testes esse ovaria, extremæ tubarum uteri infundibula, tubas ipsas oviductus asserunt: ova è testibus per hanc viam in uterum descendere, ut & spiritum auramve seminis viri ex utero ad testes ascendere somnium; ovum in mulierum testiculis nullum, quo possit exire foramen non patet; & si exsiret, in abdomen potius quam in tubas excideret, quarum extrema concidentibus fimbriis obducta sunt & à testibus nimis dissita: siti sunt testes in cavitate abdominis utrimque supra fundum uteri, cui ligamentorum latorum ope annectuntur. Tubæ ab uteri fundo nascuntur, nec ad testes perveniunt, sed è regione eorum ex alterâ parte ligamentorum quæ interjacent, obliquo itinere serpunt, desinuntque longe ultra testes versus latera; harum obscurus admodum usus est. Sæpe occurrunt in testibus vesiculæ limpido satis humore plenæ, quæ periti artificis manu extrahi possunt, caloreque bulliendo, ovorum instar indurari: seminis forsan conceptacula sunt quod in coitu effunditur, non ova; in virginibus pariter & connubio junctis conspicuæ sunt, in uterum nusquam decidunt, alias quidni virgines ova subventanea conciperent & parerent? Quidni mulier plura simul ova in utero foveret? Duo saltem, sique plures aut duo saltem fœtus semper ederet, cum duæ sint uteri tubæ nec aliunde ratio suppetat, cur ex unâ potius quam ex alia ovum excidat. Si quando fœtus accuratè formatus in alterutrâ uteri tubâ visus fuerit præter naturam, id fœcundo ovo inibi coercito ne tribuas, semini potius utriusque sexus, dehiscentibus, solito magis, osculis tubarum in uterum apertis, influentiæ ceptum referas. Nullibi generari potest infans quo pervenire nequeat tum maris tum fœminæ semen. Quæ historiæ contrarium narrant fabulosæ. Laudandi plurimum hujus ævi peritiores anatomici qui omnes corporis partes etiam minimas curiosis oculis investigant, at merito suo labem aspergunt dum temerè minimis partibus nuper retectis insignes usus affingunt quo magis inclarescant. Laudanda sedulitas clarissimi istius batavi Medici qui mulierum organa graphice depinxit, commemoratas vesiculas extraxit, & curiosè coxit: at ipsas ova esse è quibus viviparorum fœtus generarentur, præcipitanter, & inconsideratè affirmavit.

Non ergo viviparorum fœtus ex Ovo.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus Sorand Scholæ Professor.
M. Nicolaus Rainssant.
M. Petrus Pourret, unici fratris Regis Medic. ordin.

M. Antonius de Caën.
M. Carolus de Laval.
M. Dionysius Dodard.

M. Nicolaus Brayer.
M. Philibertus Morisset.
M. Philippus Harduinus de S. Iacques.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS LE RAT, Sylvanectinus. A. R. S. H. MDCLXXVII.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE